

Diagnoses nonnullorum Laboulbenialium nuper francogallice descriptorum

J. BALZAUC

6 Rue Alphonse Daudet, 95600 Eaubonne, France

Balazuc J., *Validating diagnoses of some previously described Laboulbeniales*. Acta Mycol. 11 (1): 49-57, 1975.

Diagnoses of 15 species of *Laboulbeniales*: these new taxa having previously been described in French language without any Latin diagnose could not, up to date, be accepted as valid.

On a publié en français, la description de six espèces de *Laboulbeniales* sans diagnoses latines, que l'auteur présente ci-dessous.

Misgomyces hingstoni n. sp.

Bull. Soc. ent. Fr. 76 (7-8): 226-227, fig. 1-2. (1971) 1972.

Gracili habitu, perlucido flavo (in maturioribus specimenibus ochraceo) colore, ultimarum receptaculi cellularum leviter fumoso tergo, brunneis appendicibus, hyalino perithecio. Receptaculum lineare, ab imo ad summum paulatim latitudine auctum, circiter quatuordecim latioribus quam longioribus suborthogoniis cellulis confectum. Androstichi prima cellula subquadrato-rotundata, secunda autem paulo major, globulosa, cujus in supero-ventrali parte inclusa tertia cellula ovulata. Opacum, crassum psallium, perithecii medium adaequans. Paraphysopodium ac andropodium suppar, hyalinum, ambo nonnullas dilutas dumosas cellulas, deinde circiter decem fasciolas, elongatas, rigidas, subfuscas appendices sufficientia. Antheridiiiferi ramusculi graciles, diluti, ex andropodali stirpe intus orientes. Perithecium minus, lunatum, brevibus faucibus, infirmis ostiolaribus labris. Tota longitudo: 1015 μ . Ab ungue ad psallium: 435 μ . Receptaculi media latitudo: 45 μ . Appendices (aliquantulum truncatae): 570 μ . Perithecium: 100 \times 45 μ .

Parasitus Chydae obscuri Chaud. (Coleoptera, Carab. Harpalidae): in India septentrionali (Sikkim), a clarissimo viro R. W. G. Hingston, cui dedicata species, capti.

Rhachomyces claudiae n. sp.

Ann. Soc. ent. Fr. 6 (3): 634, fig. 8-9. 1970.

Sive linearis sive paulo flexuosus fungus, ochraceo-flavo colore, plerisque fuscis appendicibus. Praecipuus axis summum quadragenis orthogoniis paulo latioribus quam longioribus cellulis confectus. Cellulae tertiae simplices. Ex appendicibus aliae graciles, breves, fuscores, ad receptaculum dense applicatae, aliae crassiores, longiores, dilutiores, perithecio cujus apicem nusquam attingunt circumdatae. Antheridia inter cunctas appendices sparsa, diluta, leviter flexis faucibus. Perithecium extremum, sessile, cylindrato-turbinatum, in longitudinem fusco-fasciatum, umbonato, diluto apice. Tota longitudo: 380-670 μ . Perithecium: 150 \times 50 μ .

Parasitus quorundam Trechorum (Coleoptera, Carab. Trechidae), montem Elgon nominatum in Africa orientali incolentium. Auctoris uxori dedicata species.

Rhachomyces schweitzeri n. sp.

Bull. Soc. ent. Fr. 76 (7-8): 227-228, fig. 3-4. (1971) 1972.

Subflexuosus fungus, flavis, perlucidis, brunneo-rufomarginatis axialibus cellulis, fuscis appendicibus. Praecipuus axis circiter sedecim subquadratis cellulis confectus, tenuibus saeptis, conspicuis stigmatibus. Cellulae tertiae simplices. Appendices rigidae, aduncis, dilatatis, perlucidis apicibus, in summo receptaculo verticillatae, inde perithecium valde superantes ac partim occultantes. Perithecium extremum, sessile, ovatum, symmetricum, apice coarctato, tum rotundato, duabus fuscarum cristularum superpositis seriebus circumdato. Tota longitudo: 450 μ . Maximae appendices: 250 μ . Perithecium: 140 \times 40 μ .

Parasitus Perigonae (P.) sulcifrontis Burgeon (Coleoptera, Carab. Perigonidae) in Africa aequatoriali. Clarissimo viro A. Schweitzer (in memoriam) dedicata species.

Laboulbenia beckeri n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (1): 114-116, fig. 7-8. 1971.

„Paralaboulbenia”. Fungus linearis (praeter curvatum pedem), diluto griseo-flavo colore, receptacularium cellularum parietibus tenuiter in longitudinem sulcatulis, in latitudinem rugatulis. Cellulae I-II elongatae, sub-

orthogoniae; cellula III orthogonia, dimidio longior quam latior; corpus IV+V par ac eam, cum saepto IV-V obliquo, fere diagonali. Psallium crassum, opacum, nequaquam coarctans, ad perithecii basim junctum. Paraphysopodium orthogonium, quinque lateribus cellulam, inde duas simplices, dilutas, griseas, partim flavescens appendices ferens. Andropodium par ac paraphysopodium, externam simplicem appendicem, internum autem antheridiiferum ramum suffulciens. Perithecium fere triplo longius quam latius, portentosum, hinc enim in medio ventre geminum, rotundatum, infuscatum gibbum proferens, illinc prorsum in fauces angustatum, deinde ovati, obliqui, fusi, ostiolati capituli modo iterum dilatatum. Majorum speciminum longitudo ab ungue ad perithecii apicem: 485 μ . Ad psallium: 335 μ . Maximae appendices: 235 μ . Perithecium (praeter gibbum): 160 \times 60 μ ; (cum gibbo): 160 \times 75 μ .

Parasitus quorundam Neocolpodium (Coleoptera, Carab. Pterostichidae) in insula Madagascar montem *Sucineum nominatum incolentium*. Clarissimo viro G. Becker, senatori, physico, dedicata species.

Laboulbenia bodhisattva n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (1): 108-109, fig. 3. 1971.

Eulaboulbenia, haplocytia, melanopsallia, schistosoma, elongata, ab imo ad summum paulatim latitudine aucta, cellulis I-II fusco-brunneis, plerisque ceteris partibus opacis. Cellulae I-II longiores, a cetero receptaculo levi coarctatione definitae. Corpus IV+V ac cellulam III suppar, dolioliforme; saeptum IV-V obliquum, ample rotundatum. Psallium crassum, coarctans, a perithecio cujus basalem tertiam partem adaequat late disjunctum, majus, dolioliforme opacumque paraphysopodium, minus autem turbinatum, dilutum andropodium suffulciens. Paraphysopodium cum primo axe tricellulare, fuscum, nigrosaeptatum corpus conficiens, cujus tam a latere quam ab apice dilutae, simplices appendices oriuntur. Andropodium dumosus, dilutos ramusculos ferens; antheridia incognita. Perithecium fusiforme, elongatum, asymmetricum, in cylindratis fauces attenuatum, propter apicem dilutius (praeter opacas areolas), in longitudinem nigrofasciatum, ostiolo extremo, hyalino, cum rotundatis, nigrolimbatis labris. Longitudo ab ungue ad perithecii apicem: 1000 μ . Ab ungue ad psallium: 950 μ . Maxima latitudo: 80 μ . Perithecium: 120 \times 40 μ .

Parasitus *Paropisthiï indici* (Chaud.) (Coleoptera, Carab. Nebrüidae) in India septentrionali (Sikkim, orientali Nepal).

Laboulbenia crolandii n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (2): 248-249, fig. 3. 1971.

Eulaboulbenia, haplocytia, melanopsallia, podocarpa, ochraceo-flavo, passim brunneo colore, receptaculi saeptis dilutis. Receptaculum latitu-

dine juste auctum, triangulum. Saeptum IV-V in longitudinem dividens. Psallium crassissimum, opacum. Paraphysopodium multo majus andropodio, tres elongatas cellulas suffulciens, quae geminatas flagelliformes appendices ferunt. Andropodio cellula una suffulta similiter duas stirpes geminatarum appendicum ferens, cum inferis antheridiiferis ramusculis. Inferae appendicum, earumque stirpium cunctae cellulae opacis psalliis definitae. Perithecium valde flexo pediculo sublatum, inde ad perpendicularum pronum, triplo longius quam latius, symmetricum, claviforme, ad apicem nigromaculatum; ostium ejus extremum, rotundatis, imparibus, lucide limbatis labris. Longitudo ab ungue ad perithecii apicem: 650 μ . Ad summas appendices: 950 μ . Ad psallium: 220 μ . Receptaculi maxima latitudo: 90 μ . Maximae appendices: 700 μ . Perithecium: 300 \times 90 μ .

Parasitus Macrochili (*Macrochilidii*) ferruginipedis Fairm. (Coleoptera, Carab. Anthiidae), insulam Madagascar incolentis. Auctoris commilitoni P. Croland, physico, dedicata species (in memoriam).

Laboulbenia hexagoniae n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (1): 111-113, fig. 5. 1971.

Eulaboulbenia, haplocytia, melanopsallia, apodotheca, olivaceo-viridi, mediocriter opaco colore. Ab imo ad summum paulatim latitudine auctum receptaculum. Cellulae I, II, corpusque III+IV longitudine supparia; cellula V ovulata, in angulo cellulae IV inclusa. Psallium coarctans, crassius, opacius, ad perithecii basim junctum, opacem arcuatum supero-externe sufferens, quod paraphysopodio primoque appendicum axe confectum est. Hujus axis a tergo opacae, pentagoniae cellulae oriuntur, geminatas appendices ferentes quae a basibus ad apices paulatim diluuntur; ab apice autem appendix una similiter dilucescens offertur. Andropodium suffultumque appendicum fasciculum dilutum; antheridia incognita. Perithecium ovatum, symmetricum, duplo longius quam latius, ad apicem leniter in fauces angustatum, nigris areis ac fasciis, supparibus, rotundatis, hyalinis labris. Longitudo ab ungue ad perithecii apicem: 250 μ . Perithecium: 80 \times 40 μ .

Parasitus *Hexagoniae pallidae* Chaud. (Coleoptera, Carab. Ctenodactylidae), montem Kilimandjaro in Africa orientali incolentis.

Laboulbenia kilimana n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (1): 113-114, fig. 6. 1971.

Eulaboulbenia, haplocytia, melanopsallia, apodotheca, malacochaeta, macromastiga, olivaceo-viridi, e quibusdam partibus fumoso colore, paulo flexuoso, ab imo ad summum paulatim latitudine aucto receptaculo. Cel-

lula II paulo longior, distincte latior quam I, parallelis lateribus, fumoso tergo. Cellula IV latitudine par ac III, longitudine ea minor. Cellula V cuneiformis; saeptum IV-V obliquum, fere diagonale. Psallium opacum, paulo coarctans, ad perithecii basim junctum. Paraphysopodium globosum, suffusum, ad externum latus etiam fumosum, oblongas cellulas duas sufferens: alteram fumosam, opaco anulo a paraphysopodio definitam, alteram internam dilutiorem. Utraque duas rigidas, elongatas appendices ferens, quarum vel primae vel secundae cellulae fumigatae. Ex andropodio suborthogonio, diluto, longitudine pari ac paraphysopodium, sed latitudine eo minore, appendix una antheridorum fasciculum inferne sufficiens oritur. Perithecium subcylindratum, fere symmetricum, triplo longius quam latius, in fauces abrupte attenuatum, nigris areis ac fasciis, extremo sed obliquo ostio, tergali labro prominentiore, suffuso, ventrali autem diluto. Longitudo ab ungue ad perithecii apicem: 250 μ . Appendices longiores sed in perspectis speciminibus effractae. Perithecium: 90 \times 30 μ .

Parasitus Hexagoniae immaculatae Chaud. (Coleoptera, Carab. Ctenodactylidae), montem Kilimandjaro in Africa orientali incolentis.

Laboulbenia numidiceps n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (2): 249-251, fig. 5-8. 1971.

Zygo-paralaboulbenia, sucineo-flavo receptaculo ac perithecio, quibusdam partibus (praecipue tertiis paraphysibus) nigris, opacis. Receptaculum triangulum, corniforme, cellula I acuta, flexa, cellula II trapeziformi, latiore quam longiore, cellula III subquadrata, cellulis IV-V subaequis, saepto IV-V in longitudinem discendente. Psallium obliquum, latum sed coarctans, aterrimum, ad cellulam VII junctum, igitur perithecio imum. Paraphysopodium andropodiumque latum, breve, rotundatum, subopacum. A paraphysopodio hinc brevis externa ramosa appendix, illinc duo interni ampli rami oriuntur: perithecii apicem uterque adaequans, dolioliformibus dilutis cellulis confectus, opacis tertiis paraphysibus a latere ornatus. Ab andropodio externus ramus, ac eos e paraphysopodio ortos suppar, interna autem stirps gracilium, hyalinorum, opace saeptatorum ramusculorum oriuntur. Antheridia incognita. Perithecium breve pedicellatum, elongatum, in subbasali parte paulo ventriosum, inde ad apicem paulatim attenuatum, levissime flexum, apice mirabiliter a latere dilatato, nigromaculato, numidae caput (inde nomen) effingente, ostio tamen extremo. Longitudo ab ungue ad perithecii apicem: 700 μ . Ad psallium: 300 μ . Receptaculi maxima latitudo: 120 μ . Maximae appendices: 400 μ . Perithecium: 300 \times 70 μ .

Parasitus Euryderae (E.) armatae Cast. (Coleoptera, Carab. Thyropteridae), in insula Madagascar.

Laboulbenia paulianii n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (2): 245-247, fig. 1. 1971.

Pusilla eulaboulbenia, haplocytia, melanopsallia, apodotheca, malacochaeta, oligomastiga, olivaceo-viridi perlucido colore, ex partibus fumosa, cellulis III, IV, VI, VII subtiliter tigrinis. Receptaculum levissime flexuosum, latitudine paulatim auctum, nisi quod cellula II inferne dilatata cellulam I e lateribus excedit. Cellulae I, II, III, IV longitudine subaequae, saeptum IV-V obliquum, cellula V superne interneque secedens. Psallium opacum, tenue, coarctans, ad peritheci basim junctum. Paraphysopodium longius latiusque andropodio, globosum, externe fumatum, biramosam appendicem sufferens. Andropodium autem duas tenues brevesque appendices suffulciens, antheridiis incognitis. Perithecium ovatum, subsymmetricum, duplo longius quam latius, extremo, obliquo ostio, rotundatis, hyalinis labris. Longitudo ab ungue ad peritheci apicem: 170 μ . Ad psallium: 110 μ . Receptaculi maxima latitudo: 36 μ . Maxima appendix: 170 μ . Perithecium: 75 \times 36 μ . Laboulbeniae polyphygae Thaxter affinis.

Parasitus Harpalini microu Jeannel (Coleoptera, Carab. Harpalidae), in insula Madagascar. Doctissimo physico R. Paulian amiciter dedicata species.

Laboulbenia vadonii n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (2): 247-248, fig. 2. 1971.

Eulaboulbenia, haplocytia, melanopsallia, apodotheca, malacochaeta, linearis, elongata, sucineo-flavo colore, e quibusdam partibus infuscata. Cellulae basales, praecipue II, longiores; cellula III suborthogonia, elongata; corpus IV+V paulo longius quam latius, dolioliforme, fumosis lateribus; saeptum IV-V obliquum. Psallium crassum, opacum, coarctans, ad peritheci basim junctum. Paraphysopodium ac andropodium suppar, iteratis bifurcis quatuor breves sed crassas, lucidas appendices quae sensim peritheci apicem adaequant suffulciens. Andropodium similiter iteratis bifurcis breviorum graciliorumque appendicum fasciculum sustinens, quarum interiores antheridiiferae. Perithecium longius, quasi semilunatum, convexo tergo, praeter autem extumescentes infuscatos gibbos lineari ventre, ostio subextremo, latereversum, rotundatis, projectis, infuscatis, tantummodo lucide limbatis labris. Longitudo ab ungue ad peritheci apicem: 550 μ . Ad psallium: 400 μ . Maxima appendix: 180 μ . Perithecium: 170 \times 65 μ .

Parasitus Nycteidis brevicollis Cast. (Coleoptera, Carab. Lebiidae), in insula Madagascar. Doctissimo amico J. Vadon (in memoriam) luctuose dedicata species.

Eucantharomyces neocolpodis n. sp.

N. Rev. Ent. 1 (2): 251-252, fig. 4. 1971.

Fungus mirabiliter flexus, sucineo-flavo colore. Cellula basalis sex-tiens longior quam latior; cellula subbasalis ei latere cohaerens, longitudine subaequa, triangula; haec appendicis basalem cellulam sufferens, illa peritheci pediculum. Appendicis (quae ipsa deest) cellula basalis trapeziformis; antheridii cellula basalis, quam suffert, longior sed angustior. Antheridium tribus seriebus (9, 8, 4 vel 5) seminiferarum cellularum confectum, cum marginali sterili cellula summo rotundata, cornifornibusque leniter efflexis faucibus. Peritheci pediculus elongatissima prima cellula, inde duabus minoribus, ex aequo conjunctis, valde efflexis cellulis confectus. Perithecium ipsum claviforme, quater longius quam latius, rugatum, quinque leviter prominentibus fumosisque zonulis cinctum, apice subturbinato, ostio quater gibbulis circumdato, e quibus unus paulo major, leniter fumosus. Tota longitudo ab ungue ad peritheci apicem: 1050 μ . Cellula basalis: 140 μ . Antheridium (cum pediculo): 280 μ . Peritheci pediculus: 450 μ . Perithecium: 480 \times 115 μ . Ascospora: 75 μ .

Parasitus *Neocolpodis* (N.) *sicardi* (All.) (Coleoptera, Carab. Pterostichidae), montem *Sucineum nominatum* in insula Madagascar incolentis.

Dioicomycetes bournieri n. sp.

Bull. Soc. ent. Fr. 76 (7-8): 228-231, fig. 5-8. (1971) 1972.

Flammeo-flavo colore; mas dilutior; femina ex partibus leviter fumosa.

Mas linearis. Cellulae I+II conjunctae longitudine cellulam I aequantes. Antheridium (cellula IV) piriforme, in extremas, rectas fauces leniter attenuatum.

Feminae corpus ipsum compactum, paulo flexuosum, quater cellulis confectum, minus minusque longis, quae sunt: basalis, subbasalis, appendicis basalis, appendicis tandem extrema. Perithecium pediculo (sive peritheci cellula basali) sublatum, dimidio longiore quam latiore, ad latus subbasalis cellulae adjuncto. Peritheci corpus ipsum ingens, longe ovatum sed aliquantum asymmetricum, hinc recto, illinc convexo latere, propter apicem fumosis zonulis bis coarctatum, inde in amplas, latereversas fauces desinens, extremo rotundatum, ostio circumtincto.

Mas: 50 \times 6 μ . Feminae tota longitudo: 155 μ . Ejusdem ab ungue ad appendicis apicem: 47 μ . Ejusdem receptaculi maxima latitudo: 15 μ . Perithecium (praeter basalem cellulam): 117 \times 33 μ . A ceteris hucusque cognitis *Dimeromycetibus* exiguitate, peritheci forma, ejusque pediculi brevitate praecipue recedit.

Parasitus *Dolichothripis gutierrezii* (Bournier) (Thysanoptera, Phlae-

othripidae) in insula Madagascar. Doctissimo A. Bournier, inventori, amiciter dedicata species.

Dimeromyces leleupii n. sp.

Bull. Soc. ent. Fr. 76 (7-8): 231-233, fig. 9-12. (1971) 1972.

Fungus sine radicibus, ungue autem instructus, sucineo diluto, e quibusdam partibus infuscato colore. Mas bicellulari receptaculo, sessili multiplici antheridio, appendiceque una confectus. Basalis cellula trapeziformis, a subbasali obliquo saepto definita. Subbasalis pentagonia, ea fere duplo longior, pariter converto saepto ab appendicis basali cellula, contra autem converto saepto ab antheridio definita. Antheridium sessile, duplo longius quam latius, fusiforme, externe ventriosum, corpore ad basalem subbasalemque cellulas cohaerente, faucibus autem aversis, quae efflexae, summo retusae. Appendicis basalis cellula ac subbasalem statura par, tertia autem minor, infusata.

Femina quadricellulari receptaculo, singulari perithecio (interdum duobus peritheciis), hinc appendice prima, illinc appendice secunda (vel pluribus appendicibus secundis) confecta. Receptaculum dimidio longius quam masculum, ab imo ad summum constanter latitudine auctum, cellulis oblique superpositis, in appendicis primae basalem cellulam desinens. Appendicis secundae (sive appendicum secundarum) basales cellulae a receptaculi latere inferius ortae. Universarum appendicum infimae cellulae infuscatae, ceterae detritae, saltem tenues ac dilutae. Quemadmodum appendices secundae insitae, ita perithecium (sive perithecia), dummodo superius, in receptaculi eodem latere. Perithecium claviforme, pediculatum, elongatum, symmetricum, propter apicem suffusa zona cinctum ac lenissime constrictum, hyalinis, paribus labris.

Majoris masculi tota longitudo: 105 μ . Maxima latitudo: 30 μ . Antheridium: 45 \times 15 μ . Feminae tota longitudo: 215-255 μ . Ab ungue ad perithecii basim: 75-110 μ . Receptaculi maxima latitudo: 40-45 μ . Perithecium (cum pediculo): 125-155 \times 35-45 μ .

Parasitus quorundam Afreischeiarum (Coleoptera, Carab. Scaritidae) in Africae orientalis montibus, atque Antireicheiae antsifotrae Basil. (id.) in insula Madagascar (scilicet in montibus Andringitra nominatis). Doctissimo N. L e l e u p, inventori, dedicata species.

Dimeromyces descarpentriesii n. sp.

Bull. Soc. ent. Fr. 76 (7-8): 233-234, fig. 13-14. (1971) 1972.

Mas incognitus. Femina a *Dimeromycete leleupii* tantummodo impari perithecio differens: quod enim flexo pediculo sublatum, quamobrem

supinum, ad receptaculum perpendiculare; ceterum apice nequaquam ovato, immo flexis faucibus, in securim extremo desinens. Tota longitudo: 255 μ . Ab ungue ad perithecii basim: 85 μ . Receptaculi maxima latitudo: 35 μ . Perithecium (cum pediculo): 175 \times 45 μ . Ascospora (incogniti sexus): 75 \times 10 μ .

Parasitus Antireicheiae antsifotrae Basil. (Coleoptera, Carab. Scaritidae) in insula Madagascar (scilicet in montibus Andringitra nominatis). Doctissimo A. Descarpentrieis, inventori, amiciter dedicata species.

Supra descriptorum fungorum typi in auctoris musaeo. Opus in laboratorii Musaei Historiae naturalis Lutetiae Parisiorum confectum.